

Secundo propter futurum supplicium quod acquirunt Tercio propter carnis delicias quas amittunt Ecce quo modo ex themate non diuiso proceditur ad distinctionem Et modus iste leuis est et simplex quia ex themate non est facta plocutio nec introductio ex positionis euangelij nec verborum thematis diuisio: Tercius modus et ad propositum nostrum Primo predicator thema suum dicere debet in latino sub silentio Post hoc introducere dictum unum in vulgari videlicet dominus noster ihesus christus det hominibus uiuentibus gratiam et misericordiam ecclesie pacem nobis autem peccatoribus post hanc vitam vitam sempiternam Deinde resumat thema per expressum in vulgari Et post hoc potest elicere vel recipere ex themate suo unam plocutionem potest facere per similitudines moralitates vel puerbia siue naturalia Vel aliquando etiam potest fieri ex certis autoritatibus adductis Et ista plocutio alio nomine dicitur pthema quia ante diuisionem thematis et ante principalem materiam sermonis exprimitur

Et nota quod in plocutione sine pthema non debet fieri plicitas ut thema cum suis principalibus materiis sermonis locum exprimendi habere possit Item plocutione premissa debet fieri presumpcio thematis et diuisio eiusdem post hoc inuocatio spiritus sancti ut prius Deinde executio membrorum per ordinem Primo primam partem principalem thematis cum suis diuisionibus Similiter secundo a parte principalem thematis cum suis subdiuisionibus et sic similiter de tertia Et facta discussione omnium membrorum tam principalium quam minus principalium predicator potest facere repetitionem sermonis in effectu ut negligentibus principijs possint scire in quo stetit sermo effectiue Et cum hoc attendentibus alijs materie sermonis possint fieri magis apprehensibiles Et iste modus modernis predicatoribus omnino est et vixis intellegibilibusque auditoribus utilis cuius exemplum patet ut superius tractatum est

Explicit tractatus de arte et vero modo predicandi